

Quid in priori.—Sed quid si talis Prior fuerit exemptus? Respondeo: aut est immediatus Papæ, aut habet Prælatus superiorem intra eandem religionem; in hoc posteriori casu, proprii Prælati regularis consensus necessarius est, et sufficit. Solum tenebitur ipse Prælatus superior, ad præbendum suum assensum, uti consilio sibi juxta suam regulam præscripto ad similes res graves definiendas, sive illud consultivum sit, sive definitivum: quoad hoc enim verum est, dictam Clementinam, licet in eo casu non requirat consensum alicujus capituli vel consilii, non tamen excludere alia jura specialia, quæ illud possunt requirere. Quocirca, si bona illius Ecclesiæ, quæ per hujusmodi Priorem sine proprio conventu administrantur, sunt ita annexa alteri monasterio, ut censeantur etiam bona illius, ideoque talis Prior sit subjectus Prælato illius monasterii, tunc sine dubio erit necessarius consensus non tantum Prælati, sed etiam capituli monasterii; quia ipsemet Prælatus non potest dare suum consensum ad alienanda bona monasterii sine consensu capitali; illa autem bona etiam sunt talia monasterii. At vero in priori casu necessarius erit consensus Pontificis, nam ille est proprius Prælatus talis Abbatis seu religiosi exempti; quod notat glossa in dicta Clementina, verbo *Proprii*, et Rebuffus supra, num. 86. Qui omnes addunt, si talis Abbas Ecclesiam habeat pleno jure sibi subjectam, id est, cum Episcopali jurisdictione, tunc non indigere consensu Pontificis, nam potius ipse potest præbere auctoritatem alienationibus honorum eujuscumque Ecclesiæ sibi subjectæ, consentiente illius Rectore. Adverto tamen non solum in regularibus, sed etiam in secularibus Prælatis inveniri minime posse aliquem habentem jurisdictionem Episcopalem, et Pontifici immediate subjectum, qui tamen conventum non habeat, seu capitulum, vel saltem clerum; quapropter nullum existimo esse talem Abbatem, qui solo arbitrio suo sine consensu alicujus Prælati sibi superioris, saltem Papæ, et sine consensu alicujus capituli, vel cleri, vel saltem proximi rectoris Ecclesiæ, possit bona Ecclesiæ alienare. Nam in dicto cap. *Sine exceptione*, generalis regula ponitur, Episcopum non posse alienare bona Ecclesiæ sine consensu cleri; ergo multo minus poterit inferior Prælatus habens jurisdictionem Episcopalem; ergo, e contrario, quotiescumque locum habet casus dictæ Clementinæ, in quo religiosus Præfectus non indiget

consensu alicujus conventus, vel cleri, quia illum non habet, necessarius illi est consensus alicujus Prælati superioris, saltem Papæ, quantumcumque ipse exemptus sit; nec in hoc existimo posse habere locum limitationem vel exceptionem, sed solum in illis Prælatis, qui, cum habeant conventus, in eis habent Episcopalem jurisdictionem solum Pontifici Summo subordinatam.

De quibus rebus alienandis intelligatur prædicta solemnitas.

16. *Responsio de bonis immobilibus, et quæ talia sint.*—Additur vero in dicta Clementina limitatio hujus formæ seu prohibitionis, his verbis: *Verum præmissa ad locationes, vel etiam reddituum aut fructuum venditiones ad tempus modicum faciendas, declaramus ullatenus non extendi.* Circa quæ verba duo in hoc puncto declaranda supersunt. Primum, in quibus bonis alienandis requirantur prædictæ conditiones; secundum, in qua eorum alienatione necessaria sit; utrumque autem horum satis distincte explicatur in Extravag. *Ambitiosa*, de Rebus Eccles. non alien., nam generalis regula, ibi statuta de Ecclesiasticis bonis, ad regularia etiam applicanda est. Quoad priorem ergo partem, declaratur ibi, bona, circa quæ prædicta omnia servanda sunt, esse omnia *immobilia, et pretiosa mobilia*; unde fit, circa alia omnia, quæ hujusmodi non fuerint, conditiones illas non esse necessarias, ac proinde circa alienationem illorum integrum manere jus antiquum, et potestatem quam juxta illud habent regulares Prælati. Quid autem per mobilia bona intelligatur, res nota est, et videri potest Panormitanus, cap. *Nulli*, de Rebus Ecclesiæ non alienandis, n. 9 et 10, et tomo præcedenti illud attigimus, tractando de materia paupertatis. In præsentibus ergo sub immobilibus bonis comprehenduntur tam res corporeæ, fixæ et immobiles, quam actiones et jura vel redditus longi temporis, seu jus diuturnum ad illos; censetur autem diuturnum, si sit saltem decem annorum. Item etiam jura, seu debita rerum immobilium, quæ naturam eorum participant.

17. *Quæ mobilia non subdantur dictæ solemnitati.*—Circa hæc autem debita oportet advertere, necessarium esse ut jam sit monasterio jus acquisitum, nam antea non sunt bona monasterii, nec ecclesiastica, et ideo nondum comprehenduntur sub prædictis legibus, ideoque si quis modus alienationis in eis esse potest, manet sub ordinaria potestate

administrativa Prælati. Exemplum est, si donatio offeratur monasterio sub his vel illis conditionibus, vel legatum relinquatur, ante acceptationem non habet monasterium jus acquisitum, et ideo ad non acceptandum manet potestas apud Prælatos, possuntque alienare vel commutare bona sibi relicta modo supra dicto, tractando de paupertate, in majorem utilitatem vel commoditatem monasterii. Quam sententiam tenuit Freder. de Senis, consil. 9, quem refert et sequitur Panormit., in cap. 1, de In integrum restit., n. 9, et cap. *Tua*, de His quæ fiunt a Prælatis, n. 9, ubi additio refert Romanum, Ancharanum, et Lapium; et alios refert Rebuffus supra, n. 30, ubi tamen refert etiam Ancharanum et alios in contrarium, et ipse, licet distinctione utatur, in eam sententiam magis inclinat, et eam sequitur noster Molina, disp. 468, de Justitia. Sed mihi in rigore prior opinio vera videtur, nam ante acceptationem non est proprium jus acquisitum, quod inter bona mobilia computari debet. Facit ad hoc confirmandum dictum Pauli de Castro, cons. 11; Felin., c. *Cognoscentes*, de Const., n. 7, limit. 3, mulierem posse repudiare donationem sibi factam nondum acceptatam, ommissa solemnitate statuti loquentis de alienationibus mulierum, quia loquitur ubi jus est acquisitum in re. Quod etiam sentit Sanch., lib. 6 de Matr., d. 4, n. 11. Verum est debere Prælatos in hoc servare modum sua regula præscriptum, vel si in hoc nihil esset speciale definitum, servare debent generalem regulam, ut in rebus arduis nihil agant sine consensu conventus: de qua videri potest Felinus, in cap. *Doceri*, de Rescriptis, numero tertio.

18. *Quæ censeantur mobilia pretiosa.*—*Quæ mobilia non censeantur pretiosa.*—Quæ vero censi debeant mobilia pretiosa, non invenio in jure declaratum, neque ab auctoribus de illa re certa regula assignatur, præter quædam exempla sumpta ex l. *Lea*, C. de Administr. tut., ut videre licet in glossa, in c. *Tua*, De his quæ fiunt a Prælatis; et Panormitano, in d. c. *Nulli*, num. 8 et 11; prudens ergo judicium intervenire debet. Primum autem locum inter hæc bona obtinent vasa et vestimenta divino cultui deputata, quando sunt ex materia multæ æstimationis, præsertim si in eo genere et quantitate materiæ, et artis qualitate præsent, ut sunt vasa aurea, vel argentea, gemmæ, vestes aureæ, aut sericæ majoris pretii; et de his præcipue loquitur dicta extravagans *Ambitiosa*, dicens: *Pretiosa mo-*

bilis Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, monasteria, et pia loca reguntur, illustranturque. Existimo præterea in hoc numero computari copiosam bibliothecam monasterio competentem; nam, licet singuli libri, vel plures illorum alienari possint sine illa solemnitate, vendere tamen totam bibliothecam est sine dubio res gravissima, quæ inter mobilia pretiosa, quæ servando servanda sunt, ut jura loquuntur, merito computatur. Et idem judico de grege integro ovium, aut similibus rerum se moventium, quæ fructiferæ sunt, et immobilibus bonis communi æstimatione æquiparantur. Idem censuit Navarrus, consil. 7, de Reb. Eccles. non alien., de cæsiione arborum ferentium et non ferentium fructus, quæ magno pretio æstimantur et venduntur; nam, licet illa res videatur mobilis, est pretiosa, et quatenus pertinet ad utilitatem prædii, et illi adhæret, quodammodo est immobilis; et nihilominus in consil. 6 ait idem Navarrus, succidere aliquas arbores inutiles, vel opacas, et eas vendere, non transcendere æstimationem et modum rerum mobilium, quæ servando servari non possunt, vel non debent, quia revera et sunt parvæ æstimationis, et non pertinent ad utilitatem prædii, et ideo nullo modo reputantur immobiles; cætera autem bona mobilia, quæ hujusmodi non sunt, et servando servari non possunt, etiam ratione quantitatis, si aliquando sint magni pretii, inter mobilia pretiosa non computantur, ut sunt pecunia, oleum, triticum, vinum et alii fructus, atque etiam vestes quæ quotidiano usu facile teruntur, et magnæ æstimationis non sunt.

19. *Consecrarium verum de his non pretiosis.*—*Exceptio.*—*Notandum.*—Ex quo infert Panormitanus, dicto cap. *Nulli*, cum glossa ibi, hæc omnia permutari posse a Prælato, aut vendi sine prædicta solemnitate, quia in eis integram retinet administrandi potestatem, nam, ut supra dicebamus, jus antiquum integrum manet, ubi per novum non est immutatum; circa hæc autem bona nihil innovatum est in prædictis juribus. Solum excipitur, in dicto c. *Nulli*, *rusticum mancipium*, juxta Authenticum, de Non alienandis, § *Nos igitur*, nam juxta jus antiquum computabatur hujusmodi mancipium quasi accessorium, vel quasi pars ipsius prædii, et ideo fortasse idem nunc censendum erit de jugis boum aut aliorum jumentorum cum aliis rebus deputatis ad cultum prædii; nam, licet singula ex his non sint mobilia pretiosa, tamen peculium illud rusticorum (ut sic dicam) quid pretiosum dici

potest, et conjunctum prædio est, veluti quid immobile; in eo ergo etiam videtur servanda forma juris. In cæteris autem mobilibus, ut dixi, Prælati habet suam integram potestatem, ut plane colligitur ex dicta Extravagante, per argumentum ab speciali, et ex dicta Clement., in fine, per argumentum a fortiori, et est communis sententia his locis, et 12, quæst. 2, in princ., cum glossa ibi, et in cap. *Tua*, ubi etiam Panormitanus, de His quæ fiunt a Prælat., etc. Additur vero in dicta Extravagante verbum notandum: *Ac de fructibus, et bonis, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia*. Quo significatur, etiam hæc bona non esse alienanda nisi quando oportunitas vel occasio id exigit, respiciendo semper ad necessitatem vel commoditatem monasterii, vel ad debitam pietatem.

De qua alienatione intelligatur eadem solemnitas.

20. *Varie alienationes in quibus requiruntur dicta solemnitas. — Defectus illius solemnitatis irritat alienationem.* — Quoad alteram vero partem num. 16 propositam, in qua scilicet alienatione requiratur prædicta solemnitas, dicitur in prædicta Extravagante: *Omnium rerum, et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque pactum per quod eorum dominium transferatur, concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus a jure permissis, et de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et cum Ecclesiarum evidenti utilitate*. Per quæ verba imprimis subblata est ambiguitas, quæ in dicta Clementina relinquebatur, quod censeatur modicum tempus; quam ibi tractat glossa, et refert varias opiniones; et Panormitanus ibi videtur approbare illam, quæ tempus infra decennium censet esse modicum; tamen dicta Extravagans limitavit tempus trium annorum, et ita de facto servatur, et servandum est. Deinde possent hic quæstiones institui de singulis contractibus istorum, quomodo Prælati prohibiti sint, et an sint omnino invalidi sine debita solemnitate facti, et an saltem valeant pro tempore permissis, quando pro majori indebite facti sunt. Sed ab his et similibus quæstionibus nunc abstinere, quia generales sunt de omnibus ecclesiasticis bonis, et late tractantur a citatis auctoribus, et videri potest Molina, tom. 2 de Justit., disp. 466, et tribus sequentibus. Nunc solum suppono ex dictis

juribus manifestum esse, hujusmodi contractus esse irritos ex vi prædictarum legum absque alia sententia vel declaratione, quia in ipsa lege satis explicatur, neque talis irritatio est pœna, ut sit necessaria sententia. Nec mihi placet sententia eorum, qui dicunt, si non cesset justa causa et utilitas Ecclesiæ, propter solum defectum solemnitatis non teneri quempiam in conscientia recedere a contractu, quod sentit Navarrus, Commentario de Alienatione rerum Eccles., num. 15 et sequentibus, et in Comment. de Spoliis clericorum, § 2, num. 6, quia solemnitas (inquit) inducta est ad præsumendam justam causam; ubi autem intercedit veritas, cessat præsumptio. Sed non placet, quia non est tantum ad præsumendum, sed ad præcavendum ne aliter fiat, et ideo, non obstante veritate causæ, necessaria est solemnitas. Tum quia effectus legis et obligatio non cessat, etiamsi finis in particulari cesset; tum etiam, quia deest potestas ad contrahendum alio modo; ergo actus est simpliciter nullus.

21. *Tunc aut contractus rescindendus, aut solemnitas denuo adhibenda. — De pœnis indebite alienantium.* — Quapropter qui hoc modo accipit bona alienata a monasterio, non potest illa in conscientia retinere, nec fructus; imò, si sit in mora restituendi, tenebitur ad damna monasterii, nisi propter bonam fidem a culpa excusetur. De quo videri potest Navarrus, tribus consiliis ultimis de Rebus Eccles., non alien.; Covar., in reg. *Peccatum*, § 3, n. 11; Anton. Gom., l. 3 *Tau.*, numero centesimo vigesimo quarto; Guttier., de Jure confirm., 1 p., c. 1, n. 42; Rebuff., referens alios antiquos, supra, n. suo 42; et Molina, loco citato; neque in hoc potest monasterium cedere juri suo, nisi confirmando denuo contractum, et supplendo priorem defectum; nam quando jus præscribit certam formam essentiali servandam in contractibus, nemo potest huic juri renunciare, ut sumitur ex leg. *Contra jura*, ff. de Legat., 1; notat Panormitanus, in c. *Si diligenti*, de Foro compet., num. 7, ex Bartolo, in l. *Si quis in conscribendo*, C. de Pactis. Unde si in præsentis casu consensus capituli, verbi gratia, prætermisisset, actus quidem in rigore esset invalidus, potest tamen ratificari per consensum capituli, præmisso tractatu, et tunc incipiet valere contractus, non a tempore quo factus est, sed a tempore quo fuit ratificatus, ut est communis sententia Doctorum, quos refert Rebuffus supra, n. 95. Et per hæc satis videntur dicta

jura explicata quantum ad præsens institutum spectat. De pœnis autem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quæ ibi adduntur, præsertim in Extravag. *Ambitiosæ*, dictum in particulari est in tomo de Censuris, disp. vigesima secunda, sect. 6, a n. 6. De aliis vero, quæ pertinent ad privationem beneficiorum, aut officiorum, juxta generales regulas materiæ de Legibus judicandum est, ubi etiam in specie illam Extravagantem attigimus, et cum Navarro adnotavimus, quoad has pœnas non videri usu receptum.

CAPUT XXVIII.

DE POTESTATE PRÆDICTÆ ADMINISTRATIONIS JUXTA STATUTA ET SPECIALIA INDULTA RELIGIONUM, NOMINATIM SOCIETATIS JESU.

1. *Assertio pro prima parte tituli. — Privilegia religionum partim derogant solemnitati juris communis.* — In hac re dicendum est, Prælatum uniusejusque religionis posse et debere administrare bona monasterii aut religionis juxta indulta et privilegia a Sede Apostolica suæ religioni concessa, et juxta suam regulam, vel constitutiones ab eadem Sede approbatas. Probatur, quia Indulta Apostolica dant potestatem derogando etiam juri communi, quando id sufficienter exprimunt (nam quod possint id facere, manifestum est). Constitutiones autem constituunt jus quod hujusmodi Prælati servare tenentur; ergo et potest, et debet juxta talia Indulta ac statuta religionis bona administrare. Quæ vero sint hujusmodi statuta et Indulta in singulis religionibus, non est nostrum nunc inquirere vel examinare, sed videri possunt quæ de his privilegiis, [sicut et de cæteris aliis, docte et diligenter tractat Emmanuel Rodericus, in 1 tomo Quæstionum regularium, quæstione 27. Si quis autem attente animadvertat, in privilegiis communiter concessis Mendicantibus aut monachalibus religionibus, nihil fere derogatum est de solemnitate ad alienationem requisita; in reliquis vero, quæ ad administrationem pertinent, idem fere jus commune est omnibus. Quod si aliqua sit varietas in specialibus statutis, eorum intelligentiam et observantiam unicuique Prælati remittimus.

2. *Privilegium alienandi non obstantē ultima voluntate.* — Solum est notatu dignum, privilegium illud a Sixto IV et Leone X concessum Minoribus ad alienandum aliqua bona

immobilia, *non obstantibus ultimis voluntatibus testatorum, vel donantium*, prout refertur in Supplemento Minorum, concess. 95 et 317. Quanquam, quia illi non habent bona immobilia, solum conceditur eis commutatio talium bonorum, quando primum illis traduntur. Alii vero Mendicantes, qui habere possunt dominium rerum immobilium, uti possunt illa facultate, etiam postquam acceptant et possident talia bona, juxta testantis voluntatem, dummodo observent conditiones in privilegio requisitas, nimirum, ut sine scandalo fiat, et cum diligenti informatione de talis alienationis vel commutationis necessitate. Et ita habetur in privilegiis Augustinianorum, et in Compendio Societatis, verb. *Alienatio*, § 5, ubi usus hujus facultatis reservatur Generali, juxta proprium et peculiarem modum procedendi Societatis. De quo pauca hic addere necesse est, ne oporteat iterum postea, in tract. 10, de hac temporali administratione sermonem facere, et quia antiquus modus procedendi religionum videtur in ea, quoad hanc partem, innovatus. Ac denique quia, ut in fine dicam, aliqui putant posse alias religiones, vel Generales earum, per communicationem privilegiorum uti Pontificiis facultatibus Præposito generali Societatis in hac parte concessis.

3. *Ampla Generalis Societatis potestas ad alienandum, cum duplici limitatione.* — Est igitur in hac materia advertendum, quod, sicut in Societate religiosum regimen ad perfectam monarchiam revocatum est, ut infra tract. 10, lib. 10, cap. 1, dicam, ita tota potestas administrandi omnia domorum vel collegiorum Societatis bona temporalia, illi per constitutiones Societatis attributa est, hoc solo excepto, quod collegia semel acceptata dissolvere non potest, nec etiam immobilia bona omnino alienare, ut habetur 9 p. Constit., his verbis: *Est penes Præpositum generalem omnis facultas agendi quosvis contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium, tam domorum quam collegiorum Societatis; et imponendi ac redimendi quoslibet census super bonis stabilibus ipsorum collegiorum, in eorundem utilitatem ac bonum, cum facultate sese onere liberandi, restituta pecunia quæ data fuerit. Alienare autem aut omnino dissolvere Collegia, vel Domos jam erectas Societatis, sine generali ejus congregatione Præpositus generalis non poterit*. Et statim, § 6, Generali datur facultas disponendi, et applicandi huic vel illi loco